Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

T. Livii Patavini Historicorum omnium Romanorum ... libri omnes

Livius, Titus

Francofurdi, 1648

Lib. III

urn:nbn:de:bsz:31-105429

Visual Library

LIB. II. EPITOME.

CVm legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti eſſent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæſus eſt. Cum a Tarentinis claſſis Romana direpta eſſet, duce, qui præerat claſſi, occiſo, legati ad eos a ſenatu, vt de iis iniuriis quererentur, miſſi, pulſati ſunt. ob id bellum iis indictum eſt. Samnites defecerunt. Aduerſus eos & Lucanos, & Brutios, & Hetruſcos aliquot præliis a compluribus ducibus bene pugnatum eſt. Pyrrhus Epirotarum rex, vt auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cum in præſidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio miſſa eſſet, occiſis Rheginis Rhegium occupauit.

LIB. III. EPITOME.

VAlerius Læuinus conſul parum proſpere aduerſus Pyrrhum pugnauit, elephantorum maxime inuſitata facie territis militibus. Poſt id prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inſpiceret, omnia verſa in hoſtem inuenit: populabundusque ad vrbem Romam proceſſit. C. Fabricius miſſus ad eum, vt de redimendis captiuis ageret, fruſtra vt patriam deſereret a rege tentatus eſt. captiui ſine pretio remiſſi ſunt. Cyneas legatus a Pyrrho ad ſenatum miſſus petiit: vt componendæ pacis cauſa rex in vrbem reciperetur. de qua re cum ad frequentiorem ſenatum referri placuiſſet: Ap. Claudius qui propter inualetudinem oculorum iam diu a conſiliis publicis abſtinuerat, venit in curiam, & ſententia ſua tenuit, vt id Pyrrho negaretur. P. Domitius cenſor primus ex plebe luſtrum condidit. cenſa ſunt ciuium capita CCLXXVIII. millia, CCXXII. Iterum aduerſus Pyrrhum dubio euentu pugnatum eſt. Cum Carthaginienſibus quarto fœdus renouatum eſt.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

eſt. Cum C. Fabricio conſuli, is qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur ſe regi venenum daturum, cum indicio ad regem remiſſus eſt. Res præterea contra Hetruſcos, Lucanos, Brutios, & Samnites, proſpere geſtas continet.

LIB. IIII. EPITOME.

Pyrrhus in Siciliam traiecit. Cum inter alia prodigia fulmine deiectum eſſet in Capitolio Iouis ſignum, caput eius per aruſpices inuentum eſt. Curius Dentatus, cum delectum haberet: eius qui citatus non reſponderat, bona vendidit. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reuerſum vicit, & Italia expulit. Fabricius cenſor P. Cornelium Rufinum conſularem ſenatu mouit, quod decem argenti pondo facti haberet. Luſtro a cenſoribus condito, cenſa ſunt capita ciuium CCLXXXI. millia, CCXXIIII. Cum Ptolemæo Ægypti rege ſocietas iuncta eſt. Sextilia virgo Veſtalis damnata inceſti, viua defoſſa eſt. Coloniæ deductæ ſunt Poſidonia, & Conſa. Carthaginienſium claſſis Mamertinis venit. quo facto ab iis fœdus violatum eſt. Res præterea contra Lucanos, Samnites, & Brutios feliciter geſtas, & Pyrrhi regis mortem continet.

LIB. V. EPITOME.

Victis Tarentinis pax & libertas data. Legio Campana, quæ Rhegium occupauerat obſeſſa, deditione facta, ſecuri percuſſa eſt. Cum legatos Apolloniatium ad ſenatum miſſos quidam iuuenes pulſaſſent: dediti ſunt Apolloniatibus. Picentibus victis pax data. Coloniæ deductæ: Ariminum in Piceno: Beneuentum in Samnio. Tunc primum populus Romanus argento vti cœpit. Vmbri, & Salentini victi in deditionem accepti ſunt. Quæſtorum numerus ampliatus eſt.